




63. B. 8.

50

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.

1. J. Jock. Breithaupt Programma academicum 1697.
2. eiuodem dito. 1693.
3. Programma paschale sub P.R. Sperlette 1705
4. sub P.R. Hofmanno 1707.
5. sub P.R. Bodino 1710.
6. sub P.R. g. Stahl 1711.
7. sub I. S. Stryckio 1712.
8. sub J. Fr. Schneider 1716.
9. sub Mich. Alberti 1727.
10. sub J. J. Breithaupt 1699
11. pentecostale sub P.R. Stahl 1701.
12. paschale I. eodem. 1701.
13. idem.
14. natale sub P.R. St 1700.
15. pentecostale J. P. R. Paul Anton 1703.
16. natale sub P.R. Stryck 1703.
17. sub J. Sperlette 1704.
18. sub P.R. Duddeo 1701.
19. pentecostale J. P. R. Arythio 1704.

20.	Programa natale sub Prof. <u>Stahl</u> .	170	39
21.	pentecostale sub P.R. <u>Stryck</u> .	170	40
22.	----- <u>Antonio</u> .	170	41
23.	----- <u>Thomasio</u> .	170	42
24.	natale sub P.R. <u>Antonio</u> .	170	43
25.	----- <u>Stryckio</u> .	170	44
26.	pentecostale S. P.R. <u>Stahl</u> .	170	45
27.	natale sub P.R. Fr. <u>Hofmanno</u> .	170	46
28.	pentecostale S. P.R. <u>Sperlette</u> .	170	47
29.	natale sub P.R. <u>Thomasio</u> .	170	48
30.	----- P. <u>Antonio</u> .	170	49
31.	----- <u>Stahl</u> .	170	50
32.	----- J. P. <u>Ludewig</u> .	170	51
33.	----- Chr. <u>Thomasio</u> .	170	52
34.	paschale sub F. <u>Sperlette</u> .	170	53
35.	----- sub P.R. <u>Ludewig</u> .	170	54
36.	pentecostale sub <u>Dodino</u> .	1710	55
37.	----- sub P.R. <u>A. H. Fr.</u> .	1711	56
38.	natale sub eodem.	1711	57

39. Programma natale sub Chr. Walff 1720.
- 170 40. - - - - - paschale sub eodem. 1721.
- 170 41. - - - - - pentecostale sub eodem. 1721.
- 170 42. - - - - - sub P.R. Jan. Kryek 1712.
- 170 43. Gedächtnis naturs. Vermahnung des Senats
170 academiae an die Studiosos. - - - 1699.
- 170 44. Progr. pentecostale sub P.R. J. P. Ludewig 1718.
- 170 45. - - - - - sub Fr. Hofmann 1719.
- 170 46. - - - - - natale J. P. P. Ludewig 1717.
- 170 47. - - - - - Scholasticum Christ. Potapidis
- 170 48. Jo. Jul. Heckers Lehrbuch Progr. v. der Hr.
Dianthm Ragford Earl des Großbr. 1749.
- 170 49. Eiusdem Agenda Scholastica. - - - 1752.
- 170 50. Kurzgefaßte vom gültigen Fortgang der angelegten
Real - Schule - - - 1748.
- 170 51. Kurzgefaßte v. einer Decon. Mathem. Real - Schule. Gng 1747.
- 170 52. Jo. Fr. Hacken Progr. in der Real - Schule v. der
in. nützbar in der Real - Schule v. der
170 53. Chr. Jac. Koitsch progr. Scholast. Elbingae.
- 170 54. Jo. Schramm progr. de Praecognitis dis
1710 sitionum cum graecis & orientalibus. Helmst. 1724.
- 171 55. G. Wilh. Tappert progr. Scholasticum. 1724.
- 171 56. Heinr. Klausing progr. academicum Lipsiense 1724.
- 171 57. Theod. Egger progr. Scholasticum. Witteb. 1726.

58. J. Casp. Hasterung progr. de suafione ad
2 Cor. V, 11. Witteb. 172 79.
59. M. F. Henr. Callenberg progr. de christiano Ro-
fessoris Philosophiae officio. Halae. 172 80.
60. C. F. Koitsch progr. scholasticum. Elbingae. 172 81.
61. Chr. Lud. Schlichter progr. de laude vera sapientiae. 173 82.
62. A. H. Fr. Progr. quo indicit lectiones theologiae. 169 83.
63. C. F. Koitsch progr. scholast. de Iudeorum cecitate. 173 84.
64. M. J. Ph. Milleri Progr. scholast. ob pacem religiof. de ad. 175. 175. 85.
65. Eiusd. de Cathiana telluris nostrae ruina protulit. 175 85.
66. Jo. Arn. Ant. Zwicke progr. schol. in exam. Pedag. 174 86.
67. dito eiusdem de mathematicum studio. (mens. Mart. 174 86.
68. dito eiusdem. (mens. Septembri 174 87.
69. eiusdem de regibus Germaniae antiquis. 174 87.
70. Progr. scholast. schola latinae orphanotroph. 174 88.
71. J. A. A. Zwicke de templo Tanfanae olim
celeberrimo. 174 89.
72. Progr. scholast. scholae lat. orphanotr. 174 m. 8.
73. J. Ant. Niemeyer progr. de institutione scholae. 175 90.
74. Programma scholasticum schola latinae. 175 91.
75. J. Ant. Niemeyer progr. de eruditione synoptica. 175 92.
76. Progr. scholast. scholae latinae. (m. Apr. 174 92.
77. J. A. Niemeyer, Vorlesung, welche in dem
Erzinsungs-Gesellschaft der Kinder enthalten.

78. J. H. Niemeier de eruditione synops. comentatio altera. 1757.
- 172 79. H. Freyeri programma emortuale - - - 1747.
80. Dan. Chr. Muller progr. de Christo nato. Magd. 1722.
- 172 81. eiusd. de cultura linguarum.
- 172 82. eiusd. de Christo praecipuo historiae momento. 1718.
- 173 83. Chr. Tob. Wiedeburgi progr. de systematica theologia tractandi ratione. Helmst. - - 1697.
- 169 84. J. Fabritii progr. de explicatione librorum biblicorum. Helmst. - - - 1697.
- 173 85. Fr. Weisii progr. de filii Dei incarnatione et nativitate. Helmst. - - 1697.
- 174 86. Chr. Henr. Rittmeieri de LXX interpretatione conciliatione p. p. - - - 1698.
- 174 87. C. D. Wiedeburgi Progr. de praecipuis studiis theologicis requisitis. - - - 1698.
- 174 88. J. Olearii inuitatio ad promotionem. Lips. 1699.
- 174 89. J. Andr. Schmidt progr. de corporibus doctrinae philippico-Pomeranico-Prutenico. Helm. 1706.
- 175 90. A. Rechenberg inuitatio ad solennem Panegyricum. 1708.
- 175 91. J. Dau. Muller diatyposis amoris Christi patientis. Helmst. - - - 1709.
- 174 92. L. C. Ludouici inuitatio ad renuntiationem LXXV Magistr. in III. academiae iubilaeo. - - - 1709.

93. Chr. Henr. Ritmeieri de hodierno Christi
anorum Graecorumque statu ecclesiast. Helmst. 1711. 109.
94. Ch. J. Aug. Krebsii progr. de vera cognitione
rerum spiritualium. Meiningae. - - - 1711. 110.
95. J. Chr. Meureri paraenesis de pietate, Wendt. 1711. 111.
96. David Franeke momentum praecceptorum
praecipuum. Neo-Rupen. - - - 1712. 112.
97. M. Chr. Ben. Michaelis inditio lectionum suarum 1711. 113.
98. Ad. Rechenberg inuitatio ad solenem Panegyrim. Lips. 1711. 114.
99. J. Fr. Buddei disert. preliminari in 1 Tim 11, 20 Jen. 1701. 115.
100. J. Olearii inuitatio ad Panegyrim. Lipsiae 1701.
101. Gottfr. Olearii inuitatio ad orationem. Lipsia. 1699.
102. J. Ern. Gerhardti inuitatio ad audiendas
disputationes. Gießae ~~1703~~. - - - 1703.
103. Jac. Fr. Reimann schediasma philosophicum. Halberst. 1691.
104. Herm. V. Dr. Gardt facula philologiae.
105. Chr. Fr. Knoi inuitatio ad synodale colloq.
106. Herm. V. Dr. Gardt inuitatio ad lectiones
Hebraicas. Helmst. - - - 1691.
107. D. G. Lehmanni inuitatio ad actionem
solenem. Lipsiae. - - - 1688.
108. Pauli Heigeli inuitatio ad dispu-
tandum. Helmst. - - - 1688.

109.	M. Chr. <u>Papenii</u> progr. ad exercitatio-	
171	nes oratorias - - - - -	1683.
141	<u>Iusti Cellarii</u> programma, Helmst. - - -	1680.
171	Henr. <u>Wiedeburgi</u> programma, Helmst. -	1683.
72	Programma natale. Senae. ff. - - - - -	1728.
171	3. - - - - - paschale. Witteb. - - - - -	1697.
171	74. - - - - - Helmst. - - - - -	1688.
170	15. <u>Gottfried Olearii</u> incitatio ad Panegyrum	1709.





47.
Quod DEO O.M. Piisque omnibus
sit acceptum!

Ut

Industrios quosdam

GYMNASII COLONIENSIS

Palæstritas,

ORATIONIBUS ALIQUOT

**COMPARATO-
RIO-SCHEMATICIS,**

Latino-Germanicis,

Proso-Metricis,

Tertiū jamque ultimū

D.VIII. APRILIS, Horis à VII. matutinis,

IN AUDITORIO MAJORE,

Hominum perversorum cum certis quibusdam Brutis
convenientiam demonstraturos,

VIRI LITERATI LITERARUMQUE

FAUTORES ET PATRONI

benevolè audiant,

Officiosè atque peramanter invitantur

à

Moderaturo Actum hunc

RECTORE,

CHRISTIANO ROTARIDIS.


COLONIÆ BRANDENBURGICÆ,

Typis ULRICI LIEBPERTI, Reg. Typogr. A.O.R. MDCCX.

282

X

35



E I. N. J.

E*Vitanda sunt in omni vita vitia omnia;*
ne, perversè mali, à Summo Bono in æternum divellamur.

Prohibuit DEUS peccata, quia est Sanctus:

Interdixit ea, quia est sapiens:

observat cuncta, quia est Omniscius:

Punit atrociter, quia est Justus:

Remittit pœnitentibus, quia est Misericors.

Quicumque igitur cœlestia, ut sanctus, quærit,

Scelera cane pejus & angue fugiat.

Quicumque interdicta sapienter attendit,
ad piè dicta animum intendat.

Qui vindicem Ejus oculum veretur,
veritatem æternam observet.

Qui Justitiæ acinacem effugere satagit,
pœnitentiam agat, peccata lacrumis eluat.

Qui remissionem flagitiorum exoptat,
immensam Ejus misericordiam efflagitet.

A DEO enim peccando averti, cadere;
ad Eum resipiscendo converti, resurgere;
in Eo manere, consistere est.

Ab Eo exire, mori; ad Eum redire, reviviscere;
in Eo habitare, vivere est.

Ille est in seipso, sicut A & Ω;

in Mundo, sicut Creator & Rector;

in Angelis, sicut Sapor & Decor;

in Ecclesia, sicut Paterfamilias in Domo;

in Anima, sicut Sponsus in Thalamo;

in Justis, sicut Adjutor & Protector;

in Reprobis, sicut pavor, horror & Ultor.

Improbis ergò deponenda,
ut in te habitet probitatis Autor.

Evitanda sunt in omni vita vitia omnia.

Diabolus quippe, nequitie origo, Virtutum hostis,
corruptor seculi, Hominis semper inimicus est.

Blanditur, ut fallat; arridet, ut noceat; allicit, ut occidat.
 Ille laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas,
 stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit.
 Ille immittit iras, virtutes profligat, errores ferit, discordias nutrit,
 pacem turbat, perversa fovet, humana evertit, divina violat.

Circuit ille nos singulos,
 & tanquam Hostis clausos obsidens muros explorat & tentat,
 an sit aliqua membrorum pars minus stabilis ac minus fida?
 cujus aditu ad interiora sese recipiat.

Offert oculis formas illices & faciles voluptates,
 ut visu destruat castitatem;
 Aures per canoram Musicam titillat,
 ut sonus dulciori auditu solvat & molliat Christiani vigorem;
 Linguam ad convitia provocat,
 ut vitia & vitanda eliciat;

Manus, injuriis laceffentibus, ad petulantiam cædis instigat;
 ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta;
 ut animam divitiis capiat, ingerit perniciosa vitia,
 nimirum

ut fraudem Homo intendat, mendacium dicat, ac avaritiam aveat.
 Honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat:
 ostendit falsa, ut vera subripiat:

Obvertit visibilia bona, ne curemus invisibilia DEI dona.

Diabolus est Serpens lubricus,
 cujus si capiti, hoc est, primæ suggestioni, non resistitur,
 totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur.
 Et cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte minatur,
 terrorem turbidæ persecutionis intentans,
 semper infestus, in pace subdolanus, in persecutione violentus.

At Dæmonum est, mala suggerere;
 nostrum est, non consentire.
 Quoties eis resistimus, toties superamus, Angelos glorificamus,
 DEUM honoramus:

qui visitat, ut pugnemus; adjuvat, ut vincamus;
 consolidat, ne deficiamus.

Evitanda sunt in omni vita vitia omnia.
 Mundi exitiales fructus, caducæ terræ flores,
 seculi præsentis vanitates.

Quis-

Quisquis autem scelerum vitare fretum,
 & mille vitiorum charybdes cupit,
 Mundi cupiditates eradicet,
 illecebras Sirenum surdis præternaviget auribus.
 Nulla tam atrox mare Scylla infidet,
 quam Mundum concupiscentia,
 quæ conscientiam enervat, scientiam rerum divinarum obfuscat,
 in abyssum omnis miseriæ Hominem præcipitem reddit.
 Qui Mundo animam credit,
 sciat, Vulpi se Gallinas, Ovem commisisse Lupo.
 Mundum enim ego mundum esse, istas nego inter immunditias.
 Sentina est, ad quam omnis scelerum colluvies confluit.
 Sepulcrum est Pietatis intermortuæ.
 Merum est cadaver, quod sceleribus, uti vermibus, scatet,
 vitiorum quod putredine diffuit:
 Probitatis nihil vitalis intus possidet,
 omnem exspiravit Virtutis animam,
 omnem gratiæ constantis deterfit pulchritudinem.
 Obire compita, Societatem mundanorum ambire,
 Sectari mundani moris mores,
 est floridis moribus tineas, Virtuti erucas aspergere.
 Hic Ovis ab Ove pruriginem trahit,
 noxa noxam affricat & morbum morbus.
 Ex Socii moribus Socii arbitraberis indolem,
 tanquam in speculo vultum.
 Semper ab improbis contagium quantumvis probis hæsit.
 Mundus, velut Siren tantum formosâ supernè,
 exterius purpura oculos Hominum fascinat,
 interius cinis os implet, tanquam Pomum Sodomiticum.
 Velut Jaël mundus Hominem instigat, ut capiat potum cibumque,
 quò facilius decipiat.
 Ut Delila deperit, quò captus perniciosò amore pereas.
 Velut Mulus Absolonis
 in ultimo vitæ articulo te deserit,
 quia illum deserere noluiisti.
 Ergo, Munde immunde, vale, non est mortale, quod opto.
 Evitanda sunt in omni vita vitia omnia

Non tam ab extraneis est nobis, quam à nobis ipsis
magis periculum.

Intus est autor erroris, incensor criminum,
perversitatis Gymnasium,

Tu ipse Dux flagitiorum tuorum.

Allicit caro, bellua verius, quam Socia.

Nullus Oceanus fretò tam varius errat,
nullus Euripus vadis tam flexuosis ambulat,
nulla tot habet incerta motus aura,

quot pectus nostrum patitur tumultus:

ad omnem peccandi occasionem animus nobis prurit.

Nihil facilius est Homini probo, quam fieri improbum.

Sine Duce ac Magistro id potest,
arte non est opus.

Vix pede firmò nititur infans,

& jam flagitiorum terit ille viam.

Ad vitiositatem proni propensique sunt à prima pueritia,
usque ad decrepitam senectutem.

Intellectus ignorantiae nebulis est obtenebratus, Voluntas perversa,

Vires enervatae, nec, quod volunt Bonum, hoc agunt,
sed, quod nolunt Malum, id faciunt,

aut aliter agunt, quam oportet,

aut faciunt, quod praetermissum oportet,

aut omittunt denique, quod facere debebant.

O curvae in terris animae, & caelestium inanes!

Sic omnem humanitatem exuunt, immanitatem induunt.

Non advertunt, quò magis ad illam perversitatem accedunt,
eò longius à DEO abscedere.

Sanè quò plura lucrantur foris,

eò plura perdunt intus, quae longè sunt pretiosiora,

& quò sollicitius anxieque magis captant ac venantur temporalia,
eò magis spiritualia amittunt.

Quò largius comedunt, eò magis enecantur fame,
quò bibunt amplius, eò sitiunt magis,

& quò longiore se somnò recreant, eò dormituriunt magis,

& quò diutius sedent, eò desidiores redduntur,

& quantum crescunt opes, tantum & habendi amor crescit.

Nec

Nec quicquam possident quicquid profuit,
 quod non idem obfuit.
 Omnia bene cum disponunt, seipſos negligunt,
 immo crudeliter contemnunt.
 Nullum eſt animans, cui non Homines caſtrum injiciant,
 attamen effrenes ipſi permanent,
 pro aliis omnibus vigilant,
 & in propriis negotiis obdormiſcunt.
 Rerum humilium vota in cordis foco excitant,
 & interim cœleſtia exſincta permanent.
 Omni conatu atque diligentiâ corpus exornant & nutriunt,
 quod tamen aliud eſt nihil,
 quàm ſentina & ſaccus ſtercorum, Sepulchrum vermium,
 & animam,
 quæ DEI imago divinæque particula auræ eſt,
 famelicam incultamque deſerunt.
 Quò propius ad mortem perniciemque ſuam concedunt,
 eò longius à Salute recedunt ſua.
 Eſt certè deteſtabilis & exitioſa res, DEUM lādere,
 qui nos tot Beneficiis maſtavit,
 qui omnia Homini ſubjecit, ut Homo unico ſerviat DEO.
 At Valetudinarium eſt hic orbis,
 in quo ægri non decumbunt, ſed pro ſanis obambulant:
 Pauci morbum ſuum vident, omnes amant.
 Alius libidine iſanit, alius abdomini ſervit,
 alius invidiâ laborat, alius cœcâ ambitione.
 Multi enim æſtimationem ſui nimiam habent,
 & tumorem, unde contemnendi ſunt, inſolentem.
 Famam aucupantur ac titulos ventis leviores,
 ſed ventô diſſipantur veluti paleæ,
 ſibi que exitium ſtruunt.
 Humiles enim lambunt flumina valles,
 altas feriunt fulmina rupes.
 Multi vulturis inſtar terrenarum rerum prædæ inhiant.
 Proh! quæ tanta neceſſitas Hominem ad ſidera erectum
 incurvavit & deſodit,
 inque fundum intinxit telluris merſit,

ut erueret aurum, non minore periculô quærendum,
quàm possidendum.
Propter hoc cuniculos agit,
& circa prædam lutulentam incertamque reptat,
oblitus dierum, oblitus naturæ melioris, à qua se avertit.
Nulli ergò mortuo tam gravis terra est,
quàm istis,
supra quos Avaritia urgens terrarum pondus iniecit,
quibus abstulit Cælum,
quos in imo, ubi malum illud virus latitat, infodit.
Quamvis enim Persarum montes aureos possideant,
tamen cum asinis vescuntur carduis,
& fonte sitim eluunt.
Egentes sunt & abundantes, inter tot opes Tantali.
Opum quippe quamvis magna suppetat affluentia,
major tamen semper erit cupiditas.
Mos semper fuit ingenii humani,
quò plura habet, eò ampliora cupit.
Omnium rerum satietas est, præterquam Auri.
Musica aures titillat, sed explet denique.
Mel & saccharum palato sapit, sed tandem desipit.
Dulce imperium multis est, dulcis est amor,
verùm & imperii & amoris obrepit nausea:
Qui horum aviditatem tædiò nummorum obruissent,
pauci ad huc fuere.
Citius è pumice aquam, quàm obolum ab illis elicies.
Hinc ferrea hæc dicimus secula, quia Aurum quærunt,
olim sine auro erant aurea,
Auri autem studio studium Virtutis adjungere,
res quidem est albò corvò rarior.
Ergò sine vitiiis esse nequit, qui sine divitiis esse nequit.
Alii oculis carere mavolunt, quàm poculis,
pingui zythò explent se ad plenam gulam.
Illis cisterna venter, canalis guttur est.
Culullos eviscerant, ventrem saburrant,
Scyphos evacuant, ac plenis faucibus in se merum ingurgitant,
Solem exstertunt, noctem perpotant.

Quis

Quis pestes atque morbos omnes enumerando percensere potest,
quos in humanum genus importat hoc infame vitium?

Exstinguit rationis lumen, obtundit aciem ingenii,
animique consilium obtenebrat,
ut in homine temulento tumultata sit ratio.

Quid enim beluæ similis?
immo quid infra beluas abjectius?
Ut lubricus est incessus!

Ut micant oculi, diffuunt genæ, pectus languet,
pedes titubant, gressus incertus, totum corpus attonitum,
& ruinosum animi domicilium horret!

Ut incerta verba sui impos eructat cum teterrima crapula!

Interea sepulta ratio in fumosis vini vaporibus
nullum usum retinet,

vigilans somniat, sine mari fluctuat,
sine hoste terrores patitur,
sine febri corpus tremit,
ut stipes jacet, ut fonticulus morbo spumat,
ut Canis vomit.

Quid hac imagine,
quid his sordibus tetrius fingi potest aut excogitari?

Præterea ubi possedit animum nimia vis meri,
quicquid malè latebat, emergit:
quicquid in corde Sobril latet,
illud in ore Ebrii patet.

Non solum facit ebrietas vitia, sed alia quoque protrahit.

Tunc libidinosus ne cubiculum quidem expectat,
sed cupiditatibus suis, quantum petierint,
sine dilatione permittit.

Tunc Scurrarum ultimus in vino saepe est Pontifex.

Pisce magis mutus, picis sit loquacior.

Leporibus timidiore, mox audaces evadunt Leones.

Tum in iras plerumque surgunt:

Pectus enim accensum novò æstu intumescit,
qualis Ætheis furit vapor cavernis.

Tumet & ebullit gravi pectus fervore,
querit, in cuius caput detumescat.

Non tunc petulans manum, immo nec linguam continet.
 Lyxi enim œstrô perciti non verentur
 æquè allatrare cœlos & terram,
 mordere DEum ac homines, & in omnes maledicta evomere.
 Quicumquè verò in altum expuit, seipsum conspuit.
 Nullum vulnus magis in interiora viscera penetrat,
 quàm quod infligitur à calumniis.
 Nam quid est tam sublime, quod non impetunt?
 quid tam excelsum, quod non concutiant?
 tam firmum, quod non convellunt,
 tam magnificum, quod non evertunt,
 tam honoratum, quod non contaminant?
 Laceffunt honorem, involant æstimationem,
 impugnant nomen, expugnant famam,
 exstingvunt gloriæ splendorem.
 Ejusmodi homines ipsi sese vasa fœtida esse testantur.
 Quidam verò otio torpent,
 quod vitium est vivi Hominis sepultura.
 Mollis enim desidria in ligno cariem,
 in panno tineas, ruinam in ædibus,
 sterilitatem in agro,
 mephytim in aqua, in aëre pestes, rubiginem in ferro
 generat.
 Mollis desidria
 naturæ est pudor, hostis artium, mater inopiæ, ignorantia Magistra.
 Mollis desidria est memoriæ situs,
 nox ingenii, omnis felicitatis interitus ac naufragium.
 Alii sunt tenelli, mollicelli, Cyparissi de gente nepotes,
 Albicantes à Creta populi,
 ungventis delibuti Ganymedes,
 qui capillos à fronte tingunt, à tergo fingunt,
 promittunt lavâ, suspendunt dexterâ,
 crispant, tricant, pectunt, inflectunt, innectunt,
 cogunt in globum, spargunt in radios, quadrant in suggestum.
 Sed credite mihi,
 plerumque sub illa geniali capitis casarie aliud reperiēs nihil,
 quàm

Ari-

Aristophanis nebulas, Polystrati somnia, solasque tenebras,
 in augustissimo illo scilicet capitolio triumphantes.
 Aggeruntur nempe in altum capillorum & vanitatum pyramides,
 ut putridorum ossium sint indicia.
 Superstitiosa corporis elegantia, Vestalis est inanitatis,
 cui Sacerdos nequitiae perpetuam
 tanquam in Ara libidinis flammam succendit.
 In parvo corpore longa velamina videmus.
 Utuntur insolentes immensis vittis, variegatis reticulis,
 flammis flammis, variis calanticis, calceis fenestratis,
 peplis, cothurnis ac cyclis.
 Homines hi, supra humanae superbiae mensuram tumentes,
 ansati ambulant, vestes per pulpita trahunt,
 atque firmatibus humum verrunt.
 Cum verò in externo corporis cultu vagatur ingenium,
 domus interna neglecta amplissimas facit lacunas.
 Alii colubrinò sunt ingenio & duplices habent linguas,
 fraudem faciunt & patiuntur,
 fumum vendunt & fumo pereunt,
 poppismatis utuntur & palpò percutiunt;
 sed quamvis mulsà dicta dicant,
 & mel in ore habeant, fel tamen propinant.
 Atque vulpes licet illi fuerint,
 & vulpibus tamen suar, quibus intercipi possint, fodiuntur fovear.
 Nemo illis fidit, qui toties calcarunt fidem.
 Quidam sunt Cretenses, Cretam qui nunquam viderunt.
 quibus neque os ad veritatem,
 neque ad benevolentiam ulla mens restat.
 Quos vel atroces aluere tygrides,
 vel qui Caucasiae marmora rupis pro corde gerunt:
 quorum totum corpus inficit fraus & livoris toxicum.
 Sunt scelerum factores, marsupia doli, perfidia barathra,
 fabri flagitiorum, mali artifices, amoris naufragia,
 corvorum victimae, patibuli appendices.
 Non Romae tantum, sed ubique locorum Vicum sceleratum
 invenies:
 Invenies enim ubique audaculos, mendaculos, spurciloquos,
 B 2 287 clepti-

clepticos, disciplinifragos, crumenifugas,
qui emedullant miseris loculos,
popinæ incolas, propudia Urbis & Orbis.
Hanc humanam cæcitatem deploravit,
densissimasque, quibus involvuntur Homines, tenebras luxit
Chrysostomus exclamans:

O si Specula mihi contingat tam edita,
è qua mortales omnes conspiciam!
O si vox tam detur arguta, stentoreaque,
quæ in omnes fines per aëra tranet,
ut ab omni tandem Homine intelligar,
Sonitumque procul are canorô cum Davide faciam,
dicente:

Filii hominum, usquequo gravi corde?
ut quid diligitis vanitatem & quaritis mendacium?
Neque id abs re facerem,
quicumque enim exactô limatoque Mundum, ut nunc est, judiciô
intuetur,

deceptiones, fraudes, blasphemias, adulteria, raptus,
incestus, bella, sanguinis effusiones, violentias,
rapinas, ambitionem, avaritiam, odium, simultatem,
& vindictas, quibus tantum non inebriata est terra,
is justissimè dixerit,

in ea nos esse appulso tempore,
de quibus magna cum execratione Vates Jesaias loquitur:
Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & DEUM vestrum,
& peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis,
ne exaudiat.

Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine,
& digiti vestri iniquitate,
labia vestra loquuta sunt mendacium,
& lingua vestra iniquitatem fatur.

Non est, qui invocet Justitiam, neque est, qui judicet verè,
sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates,
conceperunt laborem & pepererunt iniquitatem,
Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt:
qui comederit ex ovis eorum, morietur,

&

& quod confotum est, erumpet in regulum.
Tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis,

opera eorum inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

Pedes eorum ad malum currunt & festinant,

ut effundant sanguinem innocentem:

Cogitationes eorum cogitationes inutiles,

vastitas & contritio in viis eorum.

Viam pacis nescierunt, & non est iudicium in gressibus eorum:

Evitanda itaque sunt in omni vita haec vitia omnia.

Nam ille contemptor quisquis est Legis aeternae,

Se iudice damnatur, se teste convincitur, se tortore tandem cruciatur,

& voluntariè miser, cupiditatibus excors,

calamitatibus afflictus, ignaviâ mentis abjectus & pessundatus;

sine auriga divinae gratiae indoctus,

excussus & evolutus è curru

trahitur, opprimitur, eluditur, laniatur,

anxius ad molestias, humilis ad timores, enervatus ad labores,

proclivis ad libidines,

in suo inops, in alieno rapax,

in rebus attritis desperatione tractus,

in florentibus elatus, insolens, contumax,

non ferendus, magnâ rerum copiâ nunquam saturatus,

in acerbis aliorum casibus exultat.

Habent tandem furias suas malae conscientiae,

etsi oculis eorum immanissimi tortores non observantur,

certè in animo sunt,

& suam ibi carnificinam exercent:

timore undique obsidentur, curâ & solitudine oppugnantur,

conscientiae sceleratae insanis tumultibus,

tanquam arietibus, subvertuntur.

Caduntur & lancinantur vermis aculeati moribus,

moribus diurnis, non enim sedatur vigiliis,

moribus nocturnis, non enim mitigatur quietibus,

moribus perpetuis, ut non vanè crediderim,

illas diligentissimas Judicum inferorum ministras,
 five Furias, five Erynnas, five Eumenidas,
 Alecto non cessando, Tisiphonem ab ulciscendo,
 Megæram ab invidendo sic dictam,
 per quas metalepticè Conscientiam facinorosam subintellexere,
 semper fuisse Virgines habitas à Sophocle,
 ultrices à Marone, immanes à Statio, severas à Mantuano,
 infelices à Quintiliano, tristes à Claudiano, à Flacco ardentes,
 à Seneca horridas.

Ejusmodi enim homines, qui his Diris agitantur,
 nec sperare audent, nec desperare possunt.
 Vident Cælum, sed unde imminentis vindictæ fulmen exhorrescunt;
 Calcant terram, sed quam, ne sub pedibus aliquando dehiscat, ti-
 ment;

Hominibus intersunt, sed quos omnes tanquam Hostes suspectos
 habent;

Gestant diademata, sed in quibus mille verticem spinæ transfigunt;
 vestiuntur purpurâ & vestibus delicatis,
 sed quæ, exterius molles & splendent, interius aculeis plena,
 stimulis animam dilaniant.

Vah! quæ ex felicitate quantas in miseras,
 quanta ex gratia, cujusmodi in odium DEI Proximique sui,
 deveniunt.

Non enim, non, inquam, Voluptates amplius illæ,
 quæ olim placebant, oblectant,
 sed pœnitendi post se aculeos relinquunt:
 non collusorum ac compotorum jucunda,
 verum execrata est memoria,
 eodem quò hostes infensissimi locò
 improbitatis atque contumaciæ satellites habentur,

Evitanda itaque sunt in omni vita vitia omnia!

Ubi enim illa dominantur,
 transeunt in feras Homines, Civitates in latibula,
 mercandi studium in fraudes, maris imperium in piraticam,
 agricultura in bellorum semina, militia in latrocinia,
 tribunalia in catastas, judicia in rapinas,
 ubi pendet inconstans favor ex munerum balance;

qui

qui donat, trahit;

aditus non bonis, sed donis patet;

diffuunt ibi Artes in otium, Amicitiae in discordias,
Libertas in audaciam, Tempia in fora, fora in sylvas,
religio in superstitionem,

totum Reipublicae corpus in merum cadaver:

in quo conciduntur nervi, divelluntur membra,

distant artus, temperamentum omne dissolvitur.

Jacent ibi studia, extinguuntur scientiae, emoriuntur Artes,
emarescit juvenus, elanguescunt Viri, computrescunt senes,
concitatur plebs, rebellant cives, despicitur senatus,

proculcantur sacerdotes,

& dissidentibus inter se imperandi parendique studiis,

mera populorum ludibria sunt Reges & Principes.

Evitanda sunt in omni vita vitia omnia.

Quae enim Deo placens actio potest ab Homine proficisci,
cui vitia curae cordique sunt?

Vitia corpus lancinant, obruncant membra, vires debilitant,
jugulant nervos:

Sceleribus cerebrum astat, verminant aures,

tanquam apud Cimmerios inque nigra nocte caligant oculi:

voluptatibus macet & tabet facies, tremunt manus,

cutis rigescit, distenditur venter,

titubant & labuntur pedes.

flagitiis omnes sensus stupent & hebetantur:

brutescit ratio,

nihil altum, nihil magnificum ac divinum suscipere potest,

in rem tam vanam, insanam & contemptam abjecta.

In homine vitiiis confuto mens à sua sede statuque dimovetur,

in furorem ac rabiem animus convertitur.

Apud illum omnes virtutes jacent,

impeditur consilium, tollitur prudentia, fortitudo languet,

corrumpitur justitia, omnis denique humanitas interit,

quam colere maximè, dum inter Homines est, debebat.

Vitia sunt illa Circes pocula. illi Sirenium cantus,

illa Phrynes pulchritudo,

quibus Homines à se ipsis quasi exire jussi,

aut in porcos convertuntur, aut dementantur, 289 aut

aut avium instar decepti, in nulla non mala præcipitantur.
Noam cogitemus, justitiæ DEI fidelem Præconem,
Lothum ab Angelo è faucibus inferni eductum,
Samsonem, qui nec armis vinci, nec constringi vinculis potuit,
 recolamus,
 illum Leonum Urforumque collusorem *Davidem* spectemus,
Salomonem intueamur,
 contemplemur *Holofernem*,
 ecquem invenimus, qui non à vitiis fuerit supplantatus,
 à voluptatibus suffocatus?
 Quid illum monstrorum infernalium domitorem *Herculem*
Omphala dedit,
Cleopatram Antonium devinxit,
Hannibalem Scipioni tradidit?
 Quid *Pentapolin*,
 solum illud, illud terrarum optimum, amoenissimum, uberrimum,
 devastavit?
 Quid è *Babylone*, una è septem Mundi miraculis,
 ex maxima Urbe, maximum eremum fecit?
 Quid *Trojam* tam amplam, tam opulentam, solo adæquavit?
 Quid *Heliojabali* thesauros consumsit,
Commodi gazas perdidit, *Caligule* divitias dissipavit,
Neronis facultates exhaustit?
 Vitia, vitia, quæ in omni vita erant evitanda.
 Lædunt enim ac vulnerant illa,
 non secus atque vernali anni tempore vepres acuti
 pulchrè quidem florent atque oculos pascunt,
 at manus interim cruentant, fructusque bonos suffocant,
Evitanda sunt in omni vita, vitia omnia!
 Certa enim,
 qui hanc Urbem, qui hunc Orbem colitis,
 decreta Lex est,
 Omnibus moriendum est semel! stat sua cuique dies!
 Si queritis, quando? fortè cras, fortè hodie.
 Hoc certus sum, post Seculum victurum è vobis neminem,
 istò fortè momento sistendi Judici,
 ferendi inexorabili sententiâ duræ æternitatis,

Nec

Nec novum hoc, evenit plurimis, potest & vobis.

Heu, iuste DEUS,

post tot tolerata mala, importuna sequitur mors,

quæ per innumeros modos rapit creaturas,

hunc opprimit febribus, illum verò extremò dolore aliò,

unum fame, alterum siti, alium igne,

quendam aquâ, plurimos ferrò, aliquos venenò,

nonnullos laqueò, quosdam mœrore, alios gaudiò.

Hic discerpitur ferarum dentibus, ille avium cœli rostrò pungitur,

alter fit esca piscium, alius vermium.

Ad hæc accedit, quòd nesciat Homo finem suum,

& cum duraturum se confidit, decedit, peritque.

Latet unus dies, ut observentur omnes.

Ut pendulâ expectatione sollicitudo fidei probetur,

semper extremus dies observandus, dum semper ignoratur.

Quotidie timendum, quod quotidie impendet.

Non enim ætatem mors, tanquam messi maturam, expectat;

omnis illi ætas matura est.

Obvia proinde quæque nullò delectu demetit,

seu etiamnum serpent humi, seu lentum adhuc tollant caput,

seu superbum ostendent verticem,

illumque aut adhuc inanem, aut rebus saturum;

feritque promiscuè quæcunque, ut cœlo jaculata grando;

quæ purpuræ ignobilisque fagi discrimina nescit,

omnibus inexpectatò ingruens,

tiaramque & diademata, ut ignobilia elementa, calcans,

nobilitatisque clara nomina, ut paleam ventò pulsam,

ut vagum pulverem, ut solares atomos, ut infantia bullas, ridens.

Omnium igitur terribilium terribilissimum,

& omnium horrendissimus est animi à corpore discessus & separatio.

Quid, si te peccatis oneratum capiat,

improvidum, inopinantem, imparatum, & in medio assensu pravi?

in perpetratione mali?

Serò tutiora cogitas, confixus jaculis;

Serò receptui canis, confossus telò;

Serò de domo cogitas, ruinâ oppressus;

Serò pœnitentiâ tangeris, clade acceptâ.

Et quis in Securim & Crucem conjicit emendanda?
quis in ignem & tormenta?

Antè decuit.

Nam malò jam patratò, deliberationi præclusa janua est.
Quàm enim est dirum spectaculum, Hominem videre sceleribus
onuſtum

in extrema illa decumbentem mortis angustia?

Quis tremor? quis horror? quæ commutatio?

Pedes frigent, pallet facies, oculi concaveſcunt,
labra & os diſtorquentur, pulſus languens ſubſiſtit,
lingua nigreſcit, dentes compreſſi ſtrident, anhelitus exſpirat,
ſudor gelid⁹ præ dolore effunditur per membra & præcipuè frontem,
qui eſt certum devictæ naturæ indicium.

Tum Cacodæmones & maligni Spiritus
agonizantes quàm maximè impetunt;

Faciunt idem, quod ante hac antiquus Coluber fecit,
quando ſenſit

Dominum JESUM CHRISTUM accedere ad corpus Dæmoniacy,
ut eundem liberaret,

nunquam priùs adeò vociferatus erat,

neque afflixerat obſeſſum ferociùs,

quàm id temporis faciebat,

intelligebat enim, ſibi paulò poſt illinc emigrandum fore.

Eaque cauſa fuit,

cur David tam acerbè filium ſuum Abſolonem deploraverit,
inquiens:

Quis mihi det, ut moriar pro te, fili mi?

Sciebat enim, eum enormibus vitiis atque peccatis involutum eſſe.

Evitanda igitur ſunt in omni vita vitia omnia.

Nam inſtat dies judicii.

Tunc vita omnium ad trutinam æquiſſimam rigidè ponderabitur.

Non Jota, non apex commiſſi ſceleris Judicem effugiet,

intimos animi ſenſus excutiet, eruet, perrimabitur.

Ad judicium citamini, ad judicium citamini omnes, res eſt certis-
ſima.

Citamini, jam tuba inſonuit ſæpius,

ibitis omnes, ibitis, an cras, an hodie? neſcio, hoc ſcio, citamini.

Si

Si velum Templi scissum est, terra tremuit,
Sol obscuratus deliquiumque passus est,
ob injuriam CHRISTO JESU, qui nihil peccarat, in cruce factam,
quos gestus, quem animorum habitum præ se ferent scelerati pec-
catores,

qui offenderunt, blasphemarunt, irritaverunt,
tam diversis & immemorabilibus modis.

Si nos unius Angeli visio & aspectus adeo territat,
ut oculi nostri eundem non ferant,

sicut suo exemplo S. Johannes docet,

qui, ad ejus aspectum, in terram velut mortuus cecidit:

Si Jesaias, quando ei apparuit Angelus,
confessus est, omnia ossa corporis sui commota & soluta fuisse:

Si filii Israël perterriti usque adeo fuerunt,

ut dicere ad Moysen coacti fuerint:

Loquere tu nobis, & audiemus,

non enim ferimus vocem illam cœlitus lapsam,

quæ propemodum nos enecat,

cum tamen blandè loqueretur Angelus:

quomodo calamitosi peccatores vocem & claritatem perferant DEI?

qui, residens in Throno gloriæ suæ, dicturus est:

En! adest hora, quâ consolatione levabor super hostibus meis,

& vindicabor de inimicis meis,

complebitur ira mea, & cessare faciam furorem meum.

Et scient, quod ego sim Dominus, qui loquutus sum hæc in zelo
meo,

quum complevero indignationem meam in eis,

occurram eis quasi ursæ raptis catulis,

& dirumpam interiora jecoris eorum.

Tacui, semper filii, patiens fui.

Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas
neglexistis,

ego quoque in interitu vestro ridebo, & subfannabo,

cum irruerit repentina calamitas,

quando venerit super vos tribulatio & angustia.

Sicut parturiens loquar, dissipabo & absorbebo illos.

Velut enim capillus suam umbram,
ita levisimum piaculum suam pœnam habet.
Sit magni sceleris tarda licet pœna, gravis erit.
Dii laneos habent pedes, ferreas manus,
diu minantur, tandem feriunt, quàm serò, tam feriò.
Et si cœli non sunt mundi in conspectu DEI,
si in Angelis suis reperit pravitatem,
quid inventurus est contra eos, qui sunt domus luteæ,
qui terrenum habent fundamentum,
& qui de ventre matris onusti sunt iniquitate?
Et si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi apparebunt?
quorum tam ingens est numerus.
Nam, ut ostendit Scriptura, Multi sunt vocati, pauci verò electi:
præsertim in illa hora, quando manifesta erunt abscondita
cordium.

Hæc illa hora, in qua Monarchæ & Principes
de sanguine, quem effuderunt, rationem reddent.
Hæc illa erit hora, quando Mercatores, & alii omnes,
qui negotiati sunt in hujus mundi theatro,
qui corruerunt, vitæarunt, depravârunt,
vendiderunt falsò pondere & mensurâ,
etiam de minima prævaricatione rationem reddent.
Hæc illa hora erit, quando avari, raptores, fœneratores,
qui hunc possessionibus, illum aliis bonis exuerunt,
gravissimam usuram & fœnus DEO sunt reddituri.
Hæc illa hora erit, quando Magistratus,
& alii mercenarii conductitiique Judices,
qui corruerunt, violârunt & perverterunt judicium,
computationem facere debebunt suorum vitiorum & iniquitatum
omnium.
Hæc illa hora erit, in qua Viduæ, Orphani, alii que hîc durius
afflicti,
de injuria sibi illata querimoniam apud DEUM deponent.
Hæc illa hora erit, quando Pastores & Ministri Ecclesiæ,
de grege sibi commissò, & de institutione illis tradita,
sive bona, sive mala, rationem dabunt.

Hæc

Hæc illa hora erit, in qua impii,
pœnitentiam intra se agitantes,
perturbati horribili timore dicent:

Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum & opprobrium,
vitam illorum æstimantes insaniam, & finem illorum sine honore,
ecce! quomodo computati sunt inter filios DEI,
& inter sanctos fors illorum est.

Hæc illa hora erit, in qua (ut ait Hieronymus,)
balbi, & muti facundis & eloquentibus feliciores erunt,
multi Opiliones & Subulci Philosophis anteponentur,
inopes & mendici Principibus & Monarchis,
simplices & rudes astutis & ingeniosis præferentur.

Evitanda igitur sunt in omni vita vitia omnia!

In inferno enim
Peccatorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus,
immortales morsus grassantur in mortali corpore,
torquent animas, nec extorquent, puniunt corpora damnata,
nec finiunt.

Urunt vivaces flammæ, quæ nullô ævo extinguuntur, nullô
moriuntur,

sed perenni ustione, tanquam perenni vitâ,
in damnata sæviunt corpora,
novis semper ac quasi redivivis auctibus crescentes.

Quæ igitur major stultitiâ,
quàm, propter bonum momentaneum, perdere bonum æternum?
quid insanius,
quàm, propter modicam voluptatem carnis,
æternis se obligare incendiis?

Hoc itaque sacra Scriptura inculcat, hoc pii Ministri Ecclesiæ
docent,

pii Magistratus & Patres familias ingeminant,
Gymnasiorum pulpita clamant:

Evitanda sunt in omni vita vitia omnia!

Clamore istô,
binis jam vicibus, binis in ACTIBUS,

quibus improborum Hominum cum Brutis convenientia ostendebatur,

nostri quoque COLONIENSIS GYMNASII Cathedra intonuit.

Non est, cur ambigamus, clamorem eundem redintegrare, tertium, jamque ultimum, IMPIOS cum Brutis comparaturi, singulosque à brutalium Viriorum amore dehortaturi.

Prodibit, inter Perorantes,

ENNEAS quoque JUVENUM,

& moribus proborum,

& pietate conspicuorum,

literarum autem culturâ atque amore omnibus amabilem, qui,

ad ACADEMICUM Parnassum iter adornantes,

GYMNASIO nostro valedicent.

Ad eos igitur, omnesque reliquos, benevolè audiendos,

ut crastinò die, *σύν Θεῷ*, horis à VII. matutinis,

DOMINI FAUTORES & PATRONI,

Musis nostris faventes,

in Auditorio GYMNASII majore comparere,

nobisque ac Juventuti nostræ

in hujuscemodi labore impigrè porrò pergendi calcar addere,

haud graventur,

eâ, quâ par est, observantiâ

Eosdem invitat

P. P. Coloniz

d. 7. April.

Anno τῆς ἐνσαρκωθέντος

τῆς λόγῃ οἰκονομίας

MDCCX.

CHRISTIANUS ROTARIDIS,
Gymnasii Rector.

PINA-

❁ ❁ ❁

PINACIUM,

in quo JUVENUM Adolescentumque, qui dicturi
valedicturique Auditorio se sistunt,

Nomina continentur.

PROLOGUS,

Johannes Justinus Fuchsius, Colon. Marchicus, breviter
primò demonstrabit, Ordinem & rationem docendi
per aptas & perspicuas similitudines, naturæ huma-
næ ac Auditorum captui convenientissimum & ac-
commodatissimum esse; deinde verò suscepti hujus
negotii causam & materiam exponet, Auditoriique
benevolentiam captabit.

Eum excipiet

Vitiis flagitiisque infamem comparaturus cum

- I. *Formica*, Johannes Godofredus Neander, Wollinens. Ucaro-March.
& Joachimus Ernestus Griße/ Spandov. March.
- II. *Chamaleonte*, Ernestus Hingel/ Croppenstadiò Halberstad.
& Joachimus Krippenstapel, Perlebergâ Prignitz. March.
- III. *Æluro* f. *Fele*, Christophorus Baganß/ Meso-Sylvanus.
& duo Dia- { (N) Johannes Fridericus Fäsemeyer/ Berol. M.
logistæ: { (C) Christianus Fridericus Grosch/ Colon. M.
- IV. *Apro*, Franciscus Christianus Senuß/ Spandov. M.
& tres Dia- { (α) Joachimus Fridericus Francke/ Col. M.
logistæ: { (β) Christianus Ludovicus Reinstein/ Col. M.
 { (γ) Christianus Weißhut / Berol. M.
- V. *Delphino*, Johannes Casparus Rächteriß/ Col. M.
& quinque Dia- { (a) Henricus Balthasar Lobeck/ Fridericopol.
logistæ: { (b) Christophorus Ludovicus Golle/ Col. M.
 { (c) Christianus Adolphus Rottendis, Col. M.
 { (d) Florian Magnus Schüller / Dresdens. Misn.
 { (e) Carolus Philippus Cronreich/ Col. M.

- ❁ ❁ ❁
- VI. *Mulo*, Johannes Georgius Flachbart/ Zehdenicens. M.
& duo Dia- { 1. Christianus Weißhut/ Berol. M.
logistæ: { 2. Johannes Fridericus Schröder/ Berol. M.

VII. *Cornice*, Jacobus Dahmes/Spandov. M.

& duo Dia- { (a) Carolus Philippus Cronreich / Colon. M.
logista: { (b) Florian Magnus Schüller / Dresdens. Misa.

VIII. *Equo*, Johannes Fridericus Cube, Gosslovien. Regiomont. March.

& Johannes Bauer/Primislavienf. March.

IX. *Bubone*, Adamus Christianus Essinger/Spandov. March.

& duo Dia- { (N) Heinrichus Balthasar Lobeck/ Fridericopolit.
logista: { (C) Christianus Ludovicus Meinslein/ Col. March.

X. *Hyena*, Nicolaus Adolphus Schnaderbach/ Posenio-Hung.

& Ernestus Ludovicus Dietmann/ Spandov. March.

Hicce succedent, GYMNASIO supremum VALE dicturi,
novem Candidati ACADEMIÆ, in Orationibus suis
Hominem scelerosum comparaturi cum

XI. *Musca*, Johannes Heinrichus Albinus, Sonnenburgens. March.

& Johannes Jacobus Rüdiger/Bruseovienf. Pom.

XII. *Urso*, Daniel Krippenstapel/ Perleberg. Prignitz. March:

& Samuel Schmid/ Zilentiensis March.

XIII. *Struthione*, Fridericus Fabricius, Micro-Bernavienf. March.

& Johannes Samuel Grauert/ Franckenfeld. March.

XIV. *Cynocephalo*, Johannes Jacobus Schöppius, Fürstenvvald. March.

& Fridericus Christophorus Hubener/ Nidergördens. Palao. March.

XV. *Talpa*, Johannes Lucas Ehering/ Col. M.

Iis, (præmissis de TALPA Dialogo, quem habebunt (a) Fridericus Gotthardus
Conrad/ Col. M. & (b) Franciscus Christophorus Schulze/ Col. M.)
DEUM propitium, optatosque in studiis progressus comprecabuntur,
octo Dialogistæ:

(1.) Christianus Adolphus Rotaridis, Colon. March.

(2.) Gottfried Rubin Neo-Ruppin. March.

(3.) Franciscus Jacobus Butte/ Colon. March.

(4.) Christophorus Ludovicus Golle/ Colon. March.

(5.) Johannes Michael Cronreich/ Colon. March.

(6.) Joachim Eudeke/ Oseania Halberstadens.

(7.) Carolus Salomo Rotaridis, Colon. March.

(8.) Johannes Fridericus Butte/ Colon. March.

Vela Orationum contrahent, portumque respicient,
Impium comparaturi cum

XVI. *Milvio*, Georgius Adamus Otto, Falckenhagio-Spandov. March.

& Christianus Fridericus Delschlager/ Berol. Mach.

XVII. *Hirundine*, Johannes Christianus Pascha/ Saarmund. March.

& Georgius Joachimus Pagencopp/ Deetzent. Neo-M. March.

Quibus finitis,

EPILOGUS, Georgius Matthias Ladius, Oseaniensis,
Auditoribus gratæ mentis Mnemosynon offeret.

S. D. G.

